





11756.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

De

CARCERIBUS,

eorumq; USU & ABUSU

in causis Criminalibus,

Ad Tit. Pand. & Cod. de Custod. & exhibit. Reor.

Quam

Indulgente Magnifico JURISCONSULTORUM
in Alma LEUCOREA ORDINE,

Sub

PRÆSIDIO

VIRI Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
atq; Excellentissimi

DN. WERNERI THEODORI MARTINI,

J. U. D. & Pand. P. P. longe celeberrimi, Serenis. Elect. Sax.

Consilarii Splendidissimi, Curia Electoralis, Consistorii Eccle-

siastici, Scabinatus & Facultatis Juridicæ, quæ hic sunt, nec non

Judicii Provincialis in Inferiori Lusatia, Ad-

fessoris gravissimi,

DN. Patroni, Præceptoris & Promotoris sui omni honoris

& observantia cultu etatem devenerandi,

Publicæ Eruditorum ventilationi

exhibet

CHRISTIANUS REZLPSIG/

Dippoldisylvanus Misnicus,

Ad d. 8. Junii, Horis matutinis ab 8. usq; ad 11.

WITTEBERGÆ, Literis WENDIANIS, excud. DANIEL Schmah/

Acad. Typogr. Anno M DC LXXI.

72

1671 11^a

VIRO MAGNIFICO,
Nobilissimo, Excellentissimo atq; Consultissimo,
DN. WOLFF-CASPARO
MARTINI,

J. U. D. & Serenis. Elector. Saxon. Consiliario Aulico
Gravissimo,

Item

VIRO Prudentissimo & Amplissimo

DN. MICHAELI Reipflugen/

Reip. Dippoldiswaldensis Consuli, Patri optimè
merito Charissimoq; suo, semper
Honorando,

Nec non

VIRO Amplissimo & Spectatissimo

DN. GODOFREDO NICOLAI,


Inclytæ Reip. Witteberg. Senatori, Pharmacopolæ
Experientissimo, suoq; Avunculo
Dilectissimo,

DNN. Patronis, Promotoribus, &c. Suis

Disput. hanc Juridicam Sacram

dicite

C. K.



I. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA

De

CARCERIBUS, eorumq; USU & ABUSU in causis Criminalibus.

ad

Tit. 3. Lib. 48. Pand. de custod. & exhibition. Reor. nec non Tit. 3. 4. & 5. Lib. 9. Cod. de custod. Reorum, & privat. carc. inhibend.

CAPUT PRIMUM

DE CUSTODIA & EXHIBITIONE

REORUM in genere.

SUMMARI A.

- 1. Multum interest inter judicia civilia & criminalia, quod in his de rebus praedicti majoris agitur, quam in his.
- 2. Speciale iudicium criminalis vel inquisitorii vel accusatorii est, quod in eo Rei praesentia ante omnia requiritur.
- 3. In Criminalibus judiciis prima cura est Judicis, ut quando velit, copiam Rei & delinquentis habere possit.
- 4. Absentibus Reis judicia Criminalia sunt elusoria.
- 5. Rei praesentes a Judice sunt custodiae tradendi, latitantes exhibendi, absentes & fugitivi conquirendi.
- 6. Methodus praesentis dissertationis.
- 7. Custodia rerum Civilium, qualis desideratur in contractibus, hujus non est loci.
- 8. Circa custodiam Reorum & delinquentium, Judicis arbitrio committitur, num Personam velit militibus, vel carceri, vel fide jussoribus, vel promissioni jurata committere, pro qualitate delicti & persona.
- 9. Ad realem citationem, violentam

A



2 CAPUT I. DE CUSTODIA

1. *lentam apprehensionem, quæ sit per lictores, & incarcerationem, non temerè, nec facile judex profiliat.*
10. *Prout gradus sunt delictorum, ita quoque, sint gradus custodia*
- Reorum.*
11. *Judicis non est ab executione processum inchoare, nec sine indicis captivitati tradere reos.*
12. *Dispositio sequentium.*

1. **Q**uemadmodum inter judicia civilia magna admodum est differentia & Criminalia, ut in his exercendis majori cautelâ opus sit, quàm iis, utpote in quibus non de bonis & facultatibus fortunæ reparabilibus, sed famæ & vitæ periculis irreparabilibus quæstio & controversia movetur; Ita speciale judicii criminalis vel accusatorii est, vel inquisitorii, quod in eo Reus per Procuratorem comparere & causam suam defendere haud valeat; sed præsentia ipsius, præsertim in delicto majori & atrociori, quod vel capitis vel sanguinis pœnam secum fert, ante omnia desideretur, ut ex vultu & responsione ejus, vel indicia, vel confessiones, vel variationes à judice, vel ad-

2. condemnandum, vel absolvendum possint desumi. Hinc omnium primum est & necessarium officium judicis, ut si Reus vel de crimine aliquo majori eriminaliter vel accusetur, vel alio modo per delationem, denunciationem, famam, illud delictum Judici innotescat, procuret, quò semper copiam Delinquentis (cujus maxime ut Reorum in civilibus est fugere) habere queat, utpote quod pœnæ maneat suos autores, eisq; absentibus, omne fiat judicium elusorium. Præsentes itaq; Reos, ne fugam capiant metu pœnæ, custodia tradat, vel in custodiam recipiat, latitantes exhibendos curet, absentes verò conquirat, sibiq; transmittendos, *t. t. ff. & C. de Custod. & exhibition. Reor. t. t. C. de exhibend. & transmittend. Reis.*

3. Nos præsentis dissertatione de priori saltem argumento, nempe captura & custodia præsentium Reorum, paucis aliquid delibabimus: imprimis verò de ea specie, quæ fit mediantibus carceribus. Sermo enim hic nobis non est de custodia rerum civilium, quæ vel cuivis diligenti patrifamilias per vulgare illud: *rem tuam custodi*, injungitur, nec de eâ, cujus mentio fit in contractibus: emptionis & venditionis, locationis, conductionis, depositi, commodati, in quibus regula juris locum

ET EXHIBITIONE REORUM.

locum habet: quod quilibet in alienis rebus talem diligentem custodiam adhibere debeat, quantum bonus Paterfamilias rebus suis & propriis, de quibus videri potest *l. r. ff. de commod. & peric. rei vend. l. 36. ff. de act. empt. l. 30 36. 4155. ff. locat. r. r. ff. depositi.* Nec loquimur hic de custodia officii cuius mentio fit in *l. 1. C. ad Sc. Turpill. l. 3. C. ad abolition.* Sed de custodia Reorum, id est, de crimine aliquo vel accusatorum vel Inquisitorum. Hic Proconsul (vel prudens quilibet Iudex criminalis) aestimare solet, Utrum in carcerem recipienda sit Persona, an militibus tradenda, vel fidei iussoribus committenda, vel sibi (id est cautioni iuratoriae). Quod vel pro criminis, quod obicitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personae, vel pro dignitate eius, qui accusatur (contra quem inquitur) facere solet. Verba sunt *Ulpiani J. C. in l. ff. d. custod. & exhibit. Reor.* Ad Realem nempe citationem, quae fit per violentam apprehensionem lictorum, vel militum & capturam, tanquam ignominiosam, non facile profiliat iudex, nisi vel delicti gravitas & atrocitas, vel Personae qualitas & levitas, postulet & requirat: Cum ob leve aliquod delictum, vel dubium admodum, persona honesta, & facultatibus suis satis perspecta, nec fugam alias suspecta, non facile in carcerem duci, vel a militibus & lictoribus capi debeat. Prout enim gradus sunt delictorum, & alia quidem crimina ioc. minora, alia majora, alia capitalia, alia non capitalia, alia ultimum supplicium, alia corporis afflictivam, alia relegationem, vel poenam pecuniariam, vel aliam arbitrariam poenam secum ferentia, ita gradus sint necesse est, quoque custodiae reorum: Ut alii soli arresto personali, alii arresto & corporali & personali, alii cautioni, quae vel fit pignoribus, vel personis fidei iurentium, alii iuratoriae cautioni, alii autem custodiae militum, & denique alii ipsi carceri & vinculis publicis sint committendi & subjiciendi: tanquam omnium diligentissimo & tutissimo ad continendos homines invento remedio *l. 1. C. de Custod. Reor. l. 8. ff. de poen. Nem. Carolin. art. 11. & 218.* Quae quidem omnia prudentis arbitrio Iudicis vel Proconsulis sunt committenda, secundum *l. 2. ff. d. custod. reor.* cuius est, non ab executione processum inchoare, sed habitam differentiam criminis & personae delinquentis qualitate procedere. Ne, vel injuriarum, vel alia graviori actione

4
 CAP. II. DE CARCERIBUS
 idem conveniri possit. Caterum nos missa illâ custodiâ Reorum, quæ sit per cautionem, vel fidejussoriam, vel juratoriam, vel oppignarationem omnium bonorum, vel manum militarem, jam de eâ in sequentibus potissimum agemus, quæ exercetur per carceres. Quæ ut competenter ac feliciter fiant, numen divinum devotè precamur!

CAPUT II.

DE CARCERIBUS in specie, eorumq; definitione Nominali & Reali: Divisione, & Personis, quæ vim & potestatem carcerandi habent.

SUMMARIA.

- | | |
|---|---|
| 1. Carceris Etymologia evolvitur, num dicatur ab arcendo, vel cancellis. | 7. Non omnis pœna carcer jure civili prohibitus. |
| 2. Carcerarium quid, nec non quis carcerarius, vel Commentariensis, & hic unde sic dictus. | 8. Moribus nostris in coercendis levioribus delictis carcer valde in usu est. |
| 3. Carceraticum quid appelletur. | 9. Quomodo intelligenda sit regula, quod carcer custodia, nō pœnaloco esse debeat. |
| 4. Carceris definitio Realis. | 10. Judex aliis carceribus utatur ad custodiam personarum honestiorum, aliis ad leviorū criminum, aliis ad majorum criminum coercionem. |
| 5. Carceris divisio, quâ aliis est pœna, aliis custodia. | 11. Captura & incarceration Reorum in multis ab arbitrio pendet Judicis prudentis & circumspecti. |
| 6. Carcer vel ob levioris criminis coërcitionem de jure civili, vel ob gravius delictum jure Canonico Reis dicitur, quæ pœna perpetui carceris morti æquiparatur. | 12. Divi- |

12. Divisio carceris in publicum & privatum, non positiva est, sed prohibitiva.
13. Licitus & verus carcer non est, nisi quem Magistratus custodia, vel poena reorum destinavit autoritate publica.
14. Jure Civili carcer Privatus allegatur, non ut sit, vel esse debeat, sed ne sit.
15. Custodia Parentum, Dominorum & Maritorum, quas exercent in liberos, servos, uxores, simulacra & umbra sunt carceris, non verè tales.
16. Carceres publicos habere & in eos mittere nemini licet, nisi Magistratibus merum imperium habentibus, vel mixtum.
17. Ultra nulla citatio Realis, vel Rei apprehensio, ita nec carceratio sine jussu & voluntate Judicis exercenda.
18. Rei atrocioris criminis de fuga suspecti sine permisso Judicis capi possunt, ita tamè ut Judici tradantur.
19. Recensentur modi, quibus captura & carceratio adhiberi solet.
20. Si Reus non sit de fuga suspectus, nec periculum in mora, tutius facit iudex, si ad consilium Collegii Juridici capturam & carcerationem instituat.
21. Quando carceratio sit necessarium requisitum specialis inquisitionis, & in quibus delictis.
22. Dispositio sequentium.

Unde Carcer dicatur Philologi non conveniunt. Varro illum ab arcendo vult dictum, quasi arcerem, quod locus sit, unde captivi exire prohibentur. *Cajus lib. 9. antiq. lib. lect. 34. Servius lib. 1. & 5.* Sed longe hæc petita videtur vocis ratio. Arbitror ego, carceres dictos à carceribus vel cancellis, vel ferris ejusmodi cancellatis, quibus custodia reorum plerumque sunt munitæ: ut lucem carcerati ad minimum haurire possint. Alii aliter: quæ ut ludicra & ad rem haud pertinentia hic transimus. Alias *Carcerarium* dicitur, quod ad carcerem pertinet, ut *Quæstus Carcerarius, & Carcerarius, qui carceri-*

CAP. II. DE CARCERIBUS

6
 ceribus præficitur. Germanice Ein Kerker, Meister/Stock-Meister.
 Latinis etiam Commentariensis, seu custos carceris. Qui inde dictus
 videtur, quod eorum, qui in carcerem includuntur, nomina in
 commentarios retulerit l. 9. ff. d. Cust. Reor. l. 4. & ult. C. cod. l.
 3. penult. C. d. bon. damnat. Carceraticum vero sumitur pro illa mercede,
 quam militibus, qui custodia carcerum præsumt, humanitatis causa
 Magistratus largiuntur. Quamvis Holoander pro hoc vocabulo
 carceratico, Charisticon ponat, quod alicui ob gratiam datur &
 4. εἶσιον seu χαριστικόν Spigel. Lex. Jur. in verb. Carcer. Magis de re
 ipsa nos erimus solliciti, indagantes, quid Carcer propriè & Latinis
 & JCrts sit: Est nempe carcer nihil aliud, quam locus custodiae, vel
 interdum poenæ reorum, qui de fuga suspecti sunt, destinatus, ut
 Judex quolibet tempore copiam illorum habere possit. Sunt, qui
 carcerem describunt, diligentem & fidam custodiam, ad continen-
 dos, non puniendos Reos ex l. 1. C. de Custod. Reor. Colleg. Argentorat.
 ad tit. P. de Custod. & ex lib. reor. n. 2. Alii aliter; Cæterum cum finis
 & usus carcerum non idem sit, nec descriptio eadem esse potest.
 Est nempe Carcer alius custodiae, alius poenæ gratia inventus: Et
 5. carcer poenæ, iterum vel modicæ coërcitionis, & temporalis est, uti
 delicta leviora, quæ arbitrariæ Judicis poenæ subiecta sunt, ple-
 rumq; vel mulctâ vel carcere coërcentur: vel pro delicti qualitate,
 carcer interdum dictari solet ad solam observantiam legum conser-
 vandam. Bürgerlicher Gehorsam/vel interdum duriori adjecta clau-
 sula: Daß der Gefangene auff 3. oder 4. Wochen mit Wasser und
 Brod zu speisen. Vel solet etiam carcer durissimus loco poenæ dictari
 Reis eriminum, qui carcer perpetuus meritò morti comparatur; Et
 qui de Jure Canonico ut plurimum Clericis poenæ loco est, quibus
 ultimum supplicium irrogari non potest. c. Novimus. §. ult. d. V. S.
 c. non ab homine X". d. judic. ibid. Panormitan. c. qualiter & quand.
 7. X". d. accus. Nec est, quod dicamus, quod carcer omnis, qui poenæ
 gratia talis, Jure Civili sit prohibitus ob l. 35. ff. de poen. & l. 7. C. cod.
 & quod non nisi servi vinculis & carcere puniri potuerint. l. 6. & 10.
 C. cod. cum & in levioribus delictis concedatur per l. 1. §. ult. ff. d.
 8. Aleator. & quamvis principalis sit custodia Reorum, secundarius
 tamen etiam est poenæ. Quod multo magis moribus nostris ob-
 servan-

ET PERSONIS QUAE POTESTATEM CARCERENDO HABENT

servantia fori confirmat, quâ in arbitrariis poenis quam sapissime
poena carceris in Collegio Juridico dicitur, vel in eo Reo, qui
multam non habet, in carcerem convertitur, ut qui non habet in
aere, luat in corpore. Nec obstat huic distinctioni regula communis
criminalis, quod carcer, custodia, non poenae loco esse debeat.
Cum hoc verum sit Axioma de eo Carcere, qui principaliter custo-
diae saltem rei, non poenae est destinatus, & talis delinquentis, qui
ob atrocius aliquod delictum homicidii, vel poena gladii, vel furti,
strangulatione, vel latrocinii rotâ &c. vel majori poena, quam
carceris puniendus. Cum hisce Reis carcer non poena esse debeat,
sed custodia. Quod secus se habet in delictis minoribus, in quibus
carcer pro poena est adaequata delicto. Fit inde, ut carceres va-
riant; aliqui sint ad custodiam, alii vero ad poenam Reorum accom-
modati: ut alii sint honestiores aliis, alii in curiis, Aulis & Præ-
fecturis, alii vero squalidi & horridi, subterranei, quorum illi faciunt
ad custodiam personarum honestiorum, hi ad conservandos & pro
parte puniendos homines leviores maleficos, atrocissimorum de-
lictorum Reos. In quibus omnibus multa Judicis arbitrio com-
mittuntur, cujus est bene & accuratè perpendere, in quibus delictis,
& in quibus personis hi vel illi carceres sint adhibendi, cum materia
de capturis sit arbitraria. *Clar. l. 5. sent. §. ult. quæst. 28. num. 2.* Cu-
jus Judicis est arbitrari (1.) in quibus delictis (2.) in quibus personis,
& (3.) ad quam indicia sit in carcerationi locus. Quæ singula latè
persequitur *Carpzovius pract. Crimin. p. 3. quæst. III. per tot.* Verum-
enimvero, quod attinet divisionem carceris in publicum & priva-
tum seu domesticum, pro vera illam non agnoscimus, cum videat-
ur illi similis, quâ homo dividitur in hominem & non hominem,
seu justitia in veram & falsam. Sunt Carceres privati ipsis legibus
publicis interdicti sub criminis læsæ Majestatis poenâ, & ideo pro-
nullis habendi ob *l. 1. & 2. C. d. privat. Carcer. inhibend.* Ut ita alium
carcerem in jure non agnoscamus licitum, nisi qui à Magistratu cri-
minalem jurisdictionem habente, vel custodiae, vel poenae Reorum est
destinatus, eum in finem, ut vel rei copiam judex, quando velit, habe-
re possit, vel ut ob leviora delicta in carcere modica, vel ob graviora
perpetua mansione Reus coërceatur. Nec est, quod asseras, ipsam di-
stinctio-

CAP. II. DE CARCERIBUS

§
 distinctionem publicorum & privatorum carcerum jure Justinianæ esse fundatam, dum rubrica Codicis disertis verbis mentionem faciat privatorum carcerum. Cum eorum mentio fiat remotive & non approbando, sed improbando; & eorum exercitium sub pœna gravissima *l. 1. & 2. coercetur*. Nec quicquam facit ad stabiliendam hanc divisionem, quod Parentibus & dominis liceat filios, servos & familiam coercere, itemque servos vincire & cadere, ad tempus in villam relegare *l. 35. §. 1. in fin. ff. d. Hæred. institu*: Item quod huc pertineant carceres Scholarium, Monastici & reliqui carceres opificum servandæ disciplinæ causa constituti. Nec obstat, quod marito sit permissum, adulterum comprehensum horis viginti detinere testandi & probandi delicti causa *l. 25. ff. ad l. Jul. d. adult.* Nec non, quod cuivis latronem, furem &c. liceat apprehendere, & Judici offerre, *l. 21. de his qui lat. l. 4. & 5. ff. ad l. Aquil.* Et denique ad rem non facit, quod jure Saxonico & moribus liceat pecus alienum in agro depasto detinere, captumque ab hostibus sibi servare. Cum hæc omnia simulacta & umbræ sint carceris, qui à Magistratu ad usum publicum destinatur, non revera pro talibus habenda. Dicendum jam paucis est, de personis quæ carceres publicos exercere, vel delinquentes carceribus includendos curare possunt. Regulam hic proponimus: quod nemo in carcerem conjiciendus sit, nisi præviâ causa cognitione & jussione Magistratum majorum aut locorum defensorum *l. ult. d. C. cust. reor.* Utpote quod in carcerem mittendi potestas & facultas illis saltem competat, qui merum habet imperium vel mixtum *J. Clar. q. 46. n. ult.* Non qui simplicem saltem habet jurisdictionem, uti sunt Consules Mercatorum, Rectores Collegiorum, Judices delegati. *Perez. ad C. tit. d. Custod. Reor. n. 1.* Concludit inde rectè *Damhouder. in prax. Crim. cap. 15. n. 1.* Quod uti nulla citatio realis absque licentia, auctoritate & commissione judicis fieri possit, ita nec in carceratio, *ob l. Neminem C. d. exhib. Res.* Nisi Rei vel delinquentes in flagranti & atrociori crimine deprehendantur. Fallere enim regulam putant in Falsariis monetæ *l. 1. C. d. Fals. Mon.* Latronibus, *l. Capitalium §. famosos ff. de pœn.* Incendiariis *l. 11. qui adeo ff. incendiis l. qui ultimo ff. de pœn.* Raptoribus sceminarum *l. Raptores C. de Episc. & Cler. l. un. C. de Rapt. Virg.* Arborum violatoribus, furibus, veneficis. Quibus addit *Damhouderius* hæreticos, apostatas, Nonnas Velatas
trans-

CAP. III. DE MINISTRIS CARCERI

transfugas. Hos omnes inflagranti crimine licet sine⁹¹ permissione
Judicis apprehendere, & privatim custodire, hac tamen lege, ut sub
pœnâ privati carceris Judici & solenni Judicialiq; capturæ tradan-
tur intra 20. horas. Quamvis alii ad tempus sex horarum restrin-
gant, *Thomas 22. qv. 65.* Præter hos casus regulariter Rei & delin-
quentes non capiuntur, nec in carcerem mittuntur nisi ad jussu
Judicis vel Magistratus jurisdictionem habentis. Qui quatuor^{19.}
potissimum modis ad capturam vel citationem realem pervenire
solet, (1.) si inflagranti crimine & atrociori Reus deprehendatur (2.)
si inquisitione generali deferatur, (3.) si partes læsæ illam deside-
rent & postulent, vel alius quidam Magistratus per subsidium id
petat, vel (4.) id fiat ob rem judicatam, vel ad responsum alicujus
Collegii Juridici. Qui ultimus modus præsertim in inquisitorio
processu locum habet, in quo Judex bene sibi consulit, si ad carce-
rationem & Rei capturam non perveniat, nisi ad responsum Collegii
Juridici, si scilicet Reus non sit suspectus de fuga, vel periculum in
morâ, *Das Inquisit in gefängliche Haft zu bringen.* Unde Carpzo^{21.}
vius Incarcerationem Reorū ad aliquod necessarium requisitum In-
quisitionis Criminalis & specialis secundum jura Saxonica, ex eâ
ratione, quod inquisitio specialis formari non possit, nisi Reo præ-
sente, & ne Reus fugâ suâ judicium totum reddat elusorium. *Prax.*
Crim. p. 3. q. III. n. II. Farinac. pr. Crim. q. 27. Cœterum hâc additâ
limitatione, ut ad capturam non perveniat Judex, nisi in atrocio-
ribus delictis, pro quibus irrogatur ultimum supplicium, vel pœna
corporis afflictiva. De quâ re tamen & quomodo illa intelligenda
sint, in sequentibus plura dicemus. Jam antequam ad Personas,^{22.}
quæ carceri tradi, vel in quibus delictis possint, perveniamus dicen-
dum, & aliquid de iis Personis, quarum ministerio Judex uti solet
in capiendis & carcerandis Reis.

CAPUT III.

DE PERSONIS, Quarum ministerio utitur
Judex in capiendis, carcerandis, & carceri conti-
nendis Reis, Executoribus, apprehensoribus, Licto-
ribus Carcerariis, Commentariensibus.

B

SUMMA-

SUMMARIA.

1. Captura & incarcerationis officium, cum sit violentum, non ab ipso Judice illud, sed ejus ministris & licitoribus exercetur.
2. Captura Reorum debitis requisitis & cautè fiat, ut non capiatur, nisi suspectus de fuga, vel in atrociori crimine deprehensus.
3. In crimine leviori, præsertim si honesta sit persona, vel facultatibus prædita, captura non habet locum.
4. Necessitate urgente licitoribus, vel quibuslibet hominibus absq; permissione etiam Judicis Reos suspectos de fuga, in atrociori crimine & flagranti deprehensos capere & custodia tradere licet.
5. Capti tamen Judici quamprimum fieri potest, competenti sunt tradendi.
6. Extra pœnam non sunt, qui citra necessitatem & sine mandato Judicis, personam honestam captura vel carceri subjiciunt.
7. Ostenditur abusus Judicum & officianorum, qui in capiendis & carcerandis personis honestis faciles se præbent.
8. Ut captura Reorum, vel incarcerationio locum habeat, indicia requiruntur sufficientia, quæ tamen Judicis arbitrio committuntur.
9. Explicatur l. 2. C. d. cust. Reor.
10. Quanam sint indicia probabilia, vel non.
11. Pœna arbitraria subjiciendi ministri judicis & executores, qui mandata judicis vel negligenter, vel dissimulenter expediunt, & capiendos dimittunt.
12. Capturam & incarcerationem Reorum, si necessaria sit, & Judices extranei, & alii in subsidium rogati, promoveri tenentur.
13. Invectio Dambouderii in eos, qui executoribus operam in capiendis reis denegant, eos vel occultando, vel recipiendo, vel ad fugam sublevando.
14. Quid

14. Quid Juris, si facinorosi ministris judicis, & lictoribus viresistant.
15. Judicis ministris & militibus in capiendis reis omni abstinendum est violentia, si eis non resistatur.
16. Cui captura & incarceration commissa est, ea quoque concessa esse intelliguntur, si ne quibus illa expediri feliciter haud potest.
17. Si Reus capienti resistat violento modo, idem ex propria domo etiam fractione ostiorum & fenestrarum extrahi potest.
18. Appellatio, saluus conductus, & privilegia alia, non relevant Reum in flagranti crimine deprehensum à captura & incarceratione.
19. Violenta captura & incarceration Rei, quae cum occisione Rei conjuncta est, haud permissa est, nisi Executor in mandatis habeat à principe, Reum vel vivum vel nectum exhibendi, vel nisi ipse faciat in periculo constitutus ad sui defensionem necessariam.
20. Lictori licet Reum in alieno quoque territorio persequi, sed captum tamen sine consensu Judicis territorii non educere.
21. Commentariensium & Carcerariorum officium in quonam consistat de jure Civili Romano.
22. Quinam sint eligendi Commentarienses.
23. Malitia & negligentia Carcerariorum & Custodum debitis est coercenda poenis.
24. Judex cautus sit in eligendis Carcerariis, ut nec Tyroni, nec uni custodum Reum ejusque custodiam committat.
25. A tempore factae incarcerationis periculum custodia in Carcerarium devolvitur.
26. In carcere mortuus culpa Custodis decessisse praesumitur.
27. Jure Civili custos carceris, cujus negligentia Reus se carceri subduxit, ea poena afficitur, cui Reus fuerat subjiciendus.
28. Limitatur haec sententia, si

casu fortuito fuerit culpa aliqua mixta.

29. Imprimis poena augetur custodū & carcerariorum, si scientes, volentes Reum dimiserint.

30. Capitalis poena, quae Commentariensi infligenda, de jure civili, non de Naturali, sed

civili quoque intelligenda de portatione, relegatione &c.

31. Hodie ex observantia fori poena Commentariensium arbitraria est, vel fustigatio, relegatio, poena carceris &c.

32. Auctoritas Bened. Carpzovii confirmatur praedictis.

1. Diximus praecedenti capite regulariter neminem realiter citari, apprehendi, nec capturae vel carceribus subjici posse & includi, nisi Auctoritate Judicis Jurisdictionem criminalem habentis. Verum cum hoc officium cum violentia aliqua conjunctum sit, ut saepe Rei & delinquentes armis resistant & vi majori. Judicis officio haud conveniens est, ut ipse velprehendat, vel capiat, vel in carceres & vincula ducat facinorosos, sed necesse est, ut opera vel militum, vel satellitum, vel lictorum, vel apparitorum, vel carcerariorum, qui etiam Commentarienses dicuntur, & aliorum custodum carceris utatur.
2. Circa quam capturam & carcerationem, quam Judex exercet, mediantibus ministris suis, sequentia potissimum sunt notanda & observanda (1) ut ad eam non perveniat Judex, nisi Reus vel fuga sit suspectus, vel peregrinus & jam in fuga constitutus, vel in flagranti crimine, & eodem quidem atrociori deprehensus. Quod si enim vel levius quoddam sit crimen, vel persona in dignitate constituta, vel bonis & facultatibus, vel immobilibus praedita. Mit unbeweglichen Gütern angefessen / vel Reus seipsum carceri offerat, vel cautionem de sistendo praestet, fidejussoribus, vel pignoribus, his & aliis casibus strepitu hoc & ignominiosa captura, vel carceratione opus haud est, uti injusta carceratio Judicis multis poenis obnoxia est. Hippolit. de Marsil. in Pract. crim. de quibus omnibus in seqq. pluribus agemus; de poena vero Judicis injustam capturam vel carcerationem decernentis, prolixè tractat Bened. Carpzov. Pract. crim. p. 3. qu. III. n. 67. seqq. (2) Circa capturam notan-

Notandum est, quod vel lictores, vel milites, vel alij quilibet homines, necessitate urgente, absq; permissione Judicis, Reos & facinorosos inflagranti crimine, vel apprehendere, vel in custodiam suam recipere possint, eum in finem, ut Judici postmodum eum tradant, vel ejus jussu expectent, quod tunc potissimum accidit vel permissum est, quando Rei suspecti sunt de fuga. E.g. si latrones in via publica, si fures tempore nocturno, si adulter in domo adulteræ, si homicida in domo vel civitate, si sacrilegus in loco sacro, si rebellis criminis læsæ Majestatis, incendiarius, vim publicam committens, abigeus, vel alius quidam, in ipso actu delicti, vel etiam proximo deprehendatur, hoc casu cuilibet civium permissum est, delinquentem capere, ut eum judici tradat, multo magis vero illi, qui jam minister est Judicis, vel ad hujusmodi ministerium ex officij ratione destinatus: cum inter sit Rep. ne delicta maneant impunita, quod fieret, si delinquens præsentiam suam aufugiendo subtraheret. *Hippolit. de Marsil. in Pract. crim. §. const. n. 1.* Ubi tamen notandum, quod dicti captores, à quibus sine autoritate Judicis apprehensio delinquentis facta est, captum illicò Judici sistere, vel carceri publico tradere debent, sub pœnâ privati carceris, vel alia quadam arbitraria, quod quidam intra 20, alij intra 6. horas faciendum existimant, *l. Raptores c. d. Episc. & Cler. l. unica ff. rapt. virg. l. 3. ff. d. re milit. l. 1. C. d. desert. & occult. l. 2. ff. arb. furs. cas. l. in eerd. §. qui furem ff. d. fure. l. Itaqv. ff. ad L. aquil. l. fin. C. d. mal. & mat. l. capite quinto ff. ad l. Jul. d. adult. Thomas 22. qv. 65. Jod. Damhouder. prax. crimin. cap. 15. n. 1. 2. & seqq.* Quod si ergo lictores proprio motu, vel nulla præ-
via & certa informatione, vel citra necessitatem honestam personam capiant, vel carceri includant, sine mandato Judicis, vel remotione ab officio, vel alia pœna arbitraria subjiciuntur, de qua re circa abusum carceris plura. Et recte conqueritur *Jodocus Damhouderus: 7.* quod in hac parte ab officariis Justitiæ variè peccetur & excedatur, non solum ministris, sed & ipsis judicibus: dum proprio sæpe arbitrio, quovis tempore, & nullâ urgente causâ ad capturam & carcera-
tionem virorum sæpe honestorum procedunt, non sine insigni eorum injuria & ignominia irretractabili. *Bald. in l. C. d. restit. integr.* Cum tamen neminem nisi malæ famæ, vel facinorosos insigniter ta-

- les, ut scurras, ganiones, helluones, nebulones, tenebriones, &c. & nullius pretii homines, vel in ipso atrociori delicto deprehensos facinorosos, capere vel prehendere permissum sit, *Jodocus Dambouder. pract. crimin. cap. 15. n. 7.* Ideoq; (3) circa capturam reorum bene ponderanda sunt indicia, propter quæ Reus capiendus, quæ quidem ob circumstantias varias delictorum exprimi singula nequeunt, sed quæ tamen sufficientia esse debent Judici, cujus arbitrio & periculo hæc res committitur, qui ea secundum delicti & personarum qualitates temperabit, ita ut in occultis & gravibus criminibus contra viles, item pauperes. & malæ famæ personas, facilius & levioribus indicibus præcedentibus capturam decernat, quam in levibus & manifestis delictis, & quam contra personas in dignitate constitutas & integræ famæ. *Clar. 5. sent. §. fin. qv. 28. n. 2. Farinac. qv. Crim. 27. n. 133.*
9. *Petrus Theodoric. colleg. crim. disput. 4. §. 10. lit. A.* Notabilis hac de re lex est 2. C. d. cust. reor. quæ ita hac de re disponit: *Si quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quo NB. dignus claustris carceris & custodia squalore videatur, auditus apud acta, cum de admissio constiterit pœnam carceris sustineat, atq; ita postmodum eductus, apud acta audiatur. Ita enim quasi sub publico testimonio, commemoratio admissi criminis fiet, ut iudicibus immodicè severitibus freni quædam temperies adhibita videatur.* *Add. l. 6. C. eod. §. 3.* Vide de his indicibus, quæ movere debeant iudicem ad capturam vel incarcerationem
10. *Bened. Carpzov. prax. Crim. part. 3. qv. III. n. 22. seqq.* ubi pluribus deducit, probabilia illa esse debere, nec sufficere solam partis offensæ quærelam, vel promissionem indemnitate, nec solam inculpationem socii. Ut verbo comprehendam: hæc indicia iudicis cordati & prudentis arbitrio committenda *Petr. Theodor. & Carpzov. cit. loc.* Cæterum cum adsunt indicia sufficientia ad capturam, iudex illam maturare debet, & ministri, & executores iussum iudicis celerius exsequi: Quapropter (4) notandum, quod extra pœnam non sint illicitores, vel executores iustitiæ, qui hac in re negligenter versantur, vel qui dissimulanter manus immisisti & injectionem remittunt, quam tamen mandatis suis susceperant, & quorum viribus id fuit integrum, quod multo magis dicendum de iis, qui jam captos iterum dimittunt & fugam promovent reorum, vel malitia, vel culpa & negligentia,

vel

vel fordibus corrupti, quos officio cum infamia movendos & vel
 exilio, vel alia poena multandos arbitratur *Jocod. Damhoud. pr. crim.*
cap. 15. n. 7. & 8. (5) Circa capturam & carcerationem probè & illud 12
 observandum, quod si ea necessaria & justa videatur, illam non so-
 lum Judex competens, & ministri ejus; sed & alii judices in subsidiū
 requisiti, & quilibet alii, vel cives ejusdem Reip. vel extranei etiam
 amore justitiæ, ne ea effectu careat, debeant promovere. Qua de cau- 13
 sa vehementer admodum *Jocod. Damhoud.* quondam Regni Hi-
 spaniæ Commissarius Generalis & Finantiæ, & Criminalium præfe-
 ctus, loco prælaudato invehit in omnes eos, qui executoribus justi-
 tiæ & Judicibus operam suam in conquirendis & capiendis Reis de-
 negant omnem, & ita justitiæ opus impediunt, anamq; præbent vel
 receptationibus, vel occultationibus, vel suppetiis aliis, quas crimi-
 nosis ferunt, ut Provinciæ. tot latronibus, furibus, adulteris, & civi-
 tates oppleantur, & integræ regiones. Sed quæstio hic ventilanda 14
 est, quid juris sit, si facinorosi homines Judicis ministris, vel aliis justi-
 tiæ executoribus vi resistant, ut ab iisdem sine periculo vitæ haud ca-
 pi, vel in carceres duci haud queant? Et respondemus hic cum cri- 15
 minalistis, quod executoribus justitiæ, militibus, satellitibus, lictoribus,
 aliisque Judicis ministris abstinendum sit quidem ab omni violentia,
 omniq; injuria tam verbali, quam reali, erga delinquentes, si eā opus
 non sit, cum cognitio & potestas animadvertendi in facinorosos ne-
 mini in Judici sit permessa, & custodia non in poenam ante sententiā
 sit convertenda condemnatoriam, interim tamen & verum illud est, 16
 quod ei, cui executio alicujus rei est commissa, v. c. incarceration, vel
 captura, ea quoq; commissa intelligantur, sine quibus ea expediri feli-
 citer haud potest. *l. illud ff. d. acquir. heredit. c. ex parte de sponsal. c.*
Prudentium §. Sexta X. off. deleg. l. 2. ff. d. jurisdict. Hinc fit, ut si fa- 17
 cinorosus in vincula conjiciendus latitet, vel vi quadam externa resi-
 stat, haud executori omnis violenta manus injectio interdicta vi-
 deatur, sed permittitur executori multa Satellitum manu & præsidio
 domum Rei circumcingere & obsidere, ostia & fenestras infringere,
 etiamsi literæ commissionis, vel mandatum Judicis illud non ex-
 presserint; & adeo quidem hæc vera sunt, ut, quamvis regula juris
 sit 103: quod nemo de domo sua invitus extrahi debeat, hoc tamen
 fal-

- fallat in Reis criminis atrocioris, ut licitori vel executori justitiæ licitum sit, illum è domo propria extrahere, nec vel alicujus salvi conductus, vel privilegii, si literas ipse prætetendat maleficus, ratione habere.
18. re. Nec quicquam in tali casu subleuat Reum à pœna carceris appellatio, cum hæc non detur nisi ab excessu, vel carcerationis abusu & de-
19. negata justitia. Cæterum, quod attinet violentam capturam, & cum occisione rei conjunctam, ad illam sine pœna talionis progredi haud poterit executor, nisi illud specialiter habeat in mandatis à Principe, nisi illi certò & expressè demandatum, ut maleficum vel vivum, vel enectum capiat & Judici sistat, daß er den Gefangenen entweder lebendig oder todt liefern. Uti fieri solet in criminis læsæ Majestatis reis, sed & rei interfectio tunc permessa censetur, si Reus violento modo & armis resistat, & sic certamine dubio ad defensionem sui executor reum & facinorosum occidat, obl. 2. l. si quis percussorem C. ad l. Cornel. Dombouder pr. crim. c. 15 n. 26. 27. 28. Uti tradit: Quod executori vel licitori liceat reum & facinorosum quoq; in alieno territorio ardenti cursu persequi, atq; ibidem reum apprehendere, sed captum tamen Judici territorij tradere, nec inde illum invito educere. Atq; hæcenus sufficiat dixisse de captura & executoribus illius. Addenda sunt paucula de ipsis custodibus reorum jam captorum, ut carceratorum & commentariensium, qui in vincula & carceres conjectis præsumt, eorumq; officio, negligentia & pœna.
21. Commentariensium officium imprimis describitur l. 4 & 5. C. d. cust. reor. seqq. verbis: *Ad Commentariensem receptarum personarum custodia observatioq; pertineat: Et l. 5. jubemus autem, ut intra tricesimum diem semper commentariensis ingerat numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordines, et atemy, vincorum quod si hæc prætermiserit &c.* Ex quibus patet officium carcerarij vel commentariensis consistere (1) in receptione & custodia, observati-
one nec non alimentatione carceratorum (2) in eorum consignatione, vel relatione in commentarium. In sacris literis deprehenditur tali officio functus Josephus. Gen. 40. v. 2. in verbis: *Unde der Hoffmeister setzet Joseph über die Gefangene/ daß er ihnen dienete &c.*
22. De horum carceratorum electione à Judice faciendâ hic nihil dicam, cum hodie non Josephi nec probæ vitæ homines, sed fœdis vi-
- tiis

iis inquinati huic vitæ generi animum applicent, de quibus
 Damhouderius *cap. 16. princ.* sentit, quod illi magis compedi-
 bus & vinculis sint constringendi, quam ipsi illi, quos custo-
 diunt: cum hæc & alia non semper sint in electione & faculta-
 te Judicis, sed tali functioni sint adhibendi, quales haberi pos-
 sunt. Interim tamen, quantum fieri potest, eorum vel malitiæ^{23.}
 vel negligentia nil indulgendum facile est, sed si facinorosis
 muneribus corrupti, vel malitia ducti claustra aperiant, aut si-
 bi vim illatam ad emptionem simulent, aut ad effractionem
 reorum conniveant, vel ipsi auxilium & subsidium præbe-
 ant, debitis pœnis cœercendi. Uti nec tolerandi sunt ij, qui
 captivos æquo durius tractant, sævitia quadam insigni in com-
 pedes conjiciunt, contumeliosis verbis excipiunt, commissa de-
 licta exprobrant, & his & aliis modis inedia illos torquent, &
 afflictis afflictionem addunt duplicatam. De quorum car-
 cerariorum vitiis latè differit *Jodoc. Damhouder. pract. crim.*
cap. 17. n. 121. seqq. Unde eodem ipso loco svadet, Judicem^{24.}
 admodum circumspexitum esse debere in his carcerariis eligen-
 dis, ne culpam ipse contrahat, præsertim in civitatibus &
 Rebus publ. amplissimis, ubi non exiguus datur captivorum
 numerus. Svadet hoc ipsum *lex. 14. ff. d. cust. reor.* ubi dicitur,
 quod non facile Tyroni custodia sit credenda, nec uni, sed duo-
 bus. Quæ quidem omnia ita comparata sunt, ut pii & cordati^{25.}
 Judicis arbitrio sint omnino committenda. Illud extra omnem
 controversiæ aleam positum est, à tempore factæ carcerationis,
 periculum custodia in Carcerarium redundare, adeo ut si car-
 ceratus aliquis in carcere decesserit, mortuus præsumatur culpâ
 custodis. *Perez. ad C. tit. d. cust. reor. n. 9.* nisi aliunde de inter-^{26.}
 emptione rei constet *l. cum ita §. Species ff. d. leg. 2. Hippolit. de*
Marsil. consil. crimin. 52. n. 36. Jodoc. Damhoud. prax. crim. cap.
17. n. 6. Maximè vero Commentariensis ob culpam & negligen-^{27.}
 tiam suam pœnæ est subjiendus, & tali quidem, cui Reus, qui
 aufugit, erat subjiendus ob. *l. 4. C. d. cust. reor.* in verbis: *Nam*
ipsum volumus hujusmodi pœna consumi, cui obnoxius docbitur,
 C
 fuisse

fuisse qui fugerit. Quâ poenâ quoq; tenetur carcerarii coadjutor, ead. l. 4. Ubi tamen benè distingvere oportet, num sola
 28. culpa rei aufugientis, vel accedente quoq; casu fortuito Reus fugam ceperit *Petr. Peck. de jur. sistendi cap. 42. n. 4. Anton. Perez. ad C. tit. d. cust. reor. num. 10.* Hujusmodi casum recenset Damhouderius citato loco: Si incendio vel ruina carceris citra culpam carcerarii carceratus evaserit. Venia nempe tunc carcerario danda, quòd de jure regulariter casum fortuitum nemo præstet l. ult. §. ergo si casu. ff. d. cust. & exhibis. reor. l. 12. ff. eod. Ubi distingvitur inter culpam & casum etiam in militibus, ut si milites amiserint custodias ipsi in periculum deducantur, in quibus pro modo culpæ statuendum. Sed quæ de poena
 29. diximus l. 4. multo magis obtinent in iis militibus vel custodibus carcerum, qui Reos dolosè & scienter dimiserunt ob verba prædictæ legis 12. ff. d. custod. reor. in eum, qui custodiam dimisit, aut ita sciens habuit, ut possit custodia evadere, animadvertendum, si tamen per vitium aut desidiam custodis id evenerit, castigandum eum & c. si vero fortuito casu evenerit,
 30. nil statuendum. Major nempe poena dolum, quam culpam comitatur, unde Commentariensis ob dolum capitali poena affici potest l. 12. & fin. ff. d. cust. reor. Ubi tamen moneo cum Perezio, quod capitalis poena non semper sit explicanda pro naturali & ultimo supplicio, sed civili, utpote relegatione, deportatione, l. 103. ff. d. V. S. Unde sequitur quod Carcerarius dimit- tens sciens carceratum, qui capitis ultimo supplicio affici haud possit, nec ipse tali poena sit afficiendus. *Prosper. Farinac. pr. crim. lib. 1. part. 3. qv. 19. Perez. ad C. tit. d. Cust. reor. n. 11.*
 31. Moribus nostris hæc poena omnis arbitraria est & Judicis arbitrio committenda. *Farinac. qv. 31. Menochius 2. Arbitrar. cap. 302. Vital. de malef. Rubr. de privat. carcer. Petr. Theodor. colleg. crim. disput. 4. thes. 12. Perez. all. loc. n. 12.* Quod
 32. nostri fori observantiam hac in re attinet, imprimis nobis consulendus est *Bened. Carpzov. in pract. crim. part. 2. qv. 111. n. 99. seqq.*

99. *seqq.* Ubi ostendit, in Carcerario, si dolosè carceratum dimittat, fustigationem, si per culpam vero vel latam, vel latisimā fugam promoveat, aliam pœnam arbitrariam locum habere vel relegationis vel pecuniariæ vel carceris. Quam sententiam variis præjudiciis confirmari videmus. Et tantum de personis, quarum ministerio Judex vel in capiendis, vel carcerandis Reis, uti assolet.

CAPUT IV.

DE PERSONIS, Quæ in Carceres & Vincula conjici possunt, vel non.

SUMMARIUM.

1. *Rei criminis atrocioris indistinctè capi & carcerari possunt, ne iudicium criminale fiat elusorium.*
2. *Judex carcerationem Rei negligens, si competens sit, vel jurisdictionem habeat, culpam suam facit, in salutem Reip. peccat, & pœna arbitraria, est subijciendus.*
3. *Carcerari omnes possunt & custodia tradi, nisi qui specialiter exempti.*
4. *In carceratione Reorum maxime oportet distinguere inter causam ejus,*
5. *num civilis, vel criminalis sit.*
6. *Ob civilem causam haud facile Persona honesta custodia vel carceri est tradenda, imprimis autem privilegiata: Nobilis, Doctor, Clericus, mulier.*
7. *In criminibus majoribus privilegium non relevat persone datum à carcere, eâ ratione, quòd quilibet facinorosus presumatur de fugâ suspectus amore vitæ & radio pœna.*
8. *Privilegia mulieribus Doctoribus, Clericis, Nobilibus*

- bus &c. data, vel jure Canonico, vel civili, ad criminales & majores excessus non sunt trahenda.
8. Dignitas tamen & honestas personae honesta & indignitate constituta illud flagitare videtur, ut eadem ob crimen aliquod majus, non in squalido & tetrico vel subterraneo, sed honestiori & puro vel tolerabili carcere detineatur.
9. Compedibus & vinculis ferreis uti haud licet, nisi in constringendis & aservandis personis levioribus.
10. Mulieres, ad evitandam libidinem, jure civili, cum Viris in uno carcere detineri, sat honestè prohibentur.
11. Questio ventilatur illustri: num ad locum sacrum vel Ecclesiam confugientem inde extrahere liceat?
12. Allegatur illustrium Criminalistarum Deciani & Farinacii hæc in questione expedienda, insignis & illustris labor.
13. Demonstratur extractionem Reorum è loca sacra prohibitam esse, (1) Jure divino Testamenti veteris (2) Novi. (3) Conciliis, imprimis Tridentino. (4.) Jure Canonico (5.) Jure Romano Justiniano (6.) Patrum & Sanctorum Virorum testimoniis (7.) Gentilium & Ethnicorum L.L. & consuetudinibus. (8.) Communi Dd. Criminalistarum & Canonistarum opinione.
14. In tantum immunitas Ecclesie ab extractione Reorum defenditur, ut inde & è locis sacris Ecclesie extrahens, capitali poenâ, & mortis supplicio dignus censeatur.
15. Extrahens reum è domo Ecclesie sacra, Majestatis Reus dicitur praesertim divina.
16. Delictum extractionis reorum comparatur sacrilegio & extenditur ad quævis

- quævis loca sacris cultibus destinata, ut & domus Cardinalium & Episcoporum, Canonicorum, Hospitalia &c.
17. Regula, quod facinorosi ad Ecclesiam confugientes inde extrahendi non sint, multas admodum patitur limitationes.
18. Clerici à Judice Ecclesiastico extrahi possunt in crimine digno degradatione, vel traditione curie seculari.
19. Raptores virginum, Latrones, Incendiarii, homicida, Sacrilegi, & in atrocissimo delicto deprehensi immunitate Ecclesie haud fruuntur.
20. Immunitas Ecclesie in quibuslibet atrocissimis delictis haud attenditur.
21. Prasertim moribus nostris & consuetudine generali non attentis vel concilio Tridentino vel Bullâ Gregor. 14.
22. Reorum occultatione Ecclesia potius inquinantur, quàm conservantur, ut Christiani Judices Reos inde extrahant tanquam sacrificia & immolationes justitie.
23. Ventilatur & resolvitur questio: Num carceri includi possit ille, qui à Principe vel Judice competente, saluum conductum obtinuit.
24. Plures rei diversis sunt carceribus continendi ob Nemesis Carolinae art. III. ejusq; rationem optimam, non habitâ sexûs ratione.

QUOD Personas jam illas attinet, quæ violento modo capi, nec non carcerari possunt, regula est: quod Rei criminis atrocioris & de fugâ suspecti, indistinctè capi & carceri includi possunt, ne aufugiendo judicium Criminale omne, in quo Rei presentia, tam ratione pœnæ, quàm cognitionis causæ, maximè requiritur, reddant elusorium: Quod

- adeò procedit, ut Judex, cui inquisitio criminum ex officio incumbit, carcerationem negligens, culpam faciat suam, & graviter in salutem Reip. peccet, cujus interest, ne delicta maneant impunita. Quæ Judicis negligentia nec extra pœnam est, sed vel remotione ab officio, vel amissione Jurisdictionis, vel aliâ arbitrariâ quâdam, etiam capitali pœnâ, punitur. Cæterum, ut de Personis porro agamus, quæ carcerari possunt, Prosper. Farinacius pr. Crim. quest. 27. num. 41. hanc format
3. regulam: Quòd carcerari possint omnes Personæ, quæ expressè in jure non sunt exemptæ. Distinctione tamen hinc opus est, inter causas ante omnia, ob quas personæ sint incarcerandæ, num illæ civiles sint, vel criminales. In illis civilibus causis e. g. ob debitum non facilè judex procedere solet
 4. ad capturam & carcerem, imprimis si persona sit honesta, vel aliàs privilegiata, ut Nobilis, Doctor, Clericus, Mulier; Qui regulariter ob debitum civile capi & carcerari haud possunt.
 5. Quod tamen in his & criminalibus causis aliter se habet, cum in iis privilegium personale eos non releveret à carceratione, præsertim si delictum sit enorme, & delinquens de fugâ suspectus, qui semper talis esse creditur in crimine atrociori, homicidio, latrocinio &c. Nec obstat, quòd mulier non possit duci in judicium, nec etiam, quòd illa non sit incarceranda, l. 1. §. auth. seq. C. de off. jud. divers. auth. bod. C. de custod. reor. Sed secundum canones monasterio includenda, imò quòd pro debito etiam fiscali carcerari non possit, & quòd Judex indebitè carcerans mulierem, capitaliter puniatur unâ cum Birroariis & executoribus. Nec parùm ad rem facit, quòd Clericus à Laico capi non possit, pro debito civili, nec etiam Doctor unâ cum uxore & liberis ob privilegia Doctoralia, quæ nec statuto tolli possunt: & quòd hæc privilegia quoque habeant actu non legentes, & quod hisce privilegiis nec ipsi renunciare possint in præjudicium Ordinis literati, De quibus latè disserit Prosper. Farinac. pr. Crim. quest. 27. n. 48. & seqq. Cum hæc omnia fallant, nec atrendantur in delictis majoribus, Carpzov. pr. Crim. p. 3. quest. III. n. 12. & seqq. Quamvis illud
 - 6.
 - 7.
 - 8.

illud dignitas vel qualitas personæ privilegiatæ operetur, ut honestiori quodam carcere contineatur, nec ita compedibus, vel vinculis colligatur, ut leves personæ; cum in compedibus & ferris haud facile contineantur, nisi leves & vilissimæ personæ, vel Rei jam convicti vel confessi, uti etiam compedum & vinculorum usus haud videtur necessarius, si locus carceris per se sit benè munitus & tutus: Nec facile in personis honestis continendis intra custodiam, carcer adhibendus est: subterraneus, obscurus, squalore plenus, qualis describitur in *l. si quis. C. de custod. Reor.* qui etiam in jure dicitur mala mansio, torturæ species, & morti æquiparatur, *l. Item apud Labeonem. §. Questionis ff. de injur. l. omnes C. de pæn. cap. Nulli dubium 3. quest. 1.* Sed honestarum personarum, quamvis delinquentium, carcer sit honestus, purus, clarus & luminosus, cum regulariter de jure civili pœnæ esse loco non debeat. *Prosper. Farinac. qv. 27. n. 96. & seqq.* Quod mulieres con- nit, prohibentur illæ uno insimul carcere cum Viris includi & custodiri *per l. Quoniam C. d. Custod. Reor.* quâ sexu dispares diversa claustrorum tutamina habere jubentur, adde *Authent. ut nulli judici ibid.* Ocurrat hîc quæstio satis famosa? Num illi, qui ad loca sacra vel Ecclesiam confugiunt, inde extrahi & carceri vel custodiae subjici possint? Latissimè & prolixissimè hanc quæstionem tractarunt, & integris ferè commentariis illustrarunt Illustres duo Criminalistæ *Prosper. Farinacius in prax. Criminal. quest. 28. per tot. & Tiberius Decianus tractat. Crim. part. 2. lib. 6. cap. 25. 26. 27. 28. & seqq.* qui consuli possunt. Generaliter nempe negandum videtur, quemquam è domo sacrâ extrahi posse delinquentem, si eo confugerit: utpote quòd prohibita sit illa extractio & violatio templorum (1.) Sacris literis Vet. Testam. Num. XXXV. ubi præsidia homicidarum & asyla constituuntur, *Jos. XX. Deuteronom. XIX. Exod. XXI. 3. Reg. I. II. III.* quibus templorum sanctitas & immunitas probatur. (2.) Novo Testam. *Johann. II.* ubi templum prohibetur tanquam Patris divini templum fieri negotiationis.

tionis. (3.) Conciliis, imprimis *Tridentino* in 25. *Seß. cap. 29.* quibus adeò extrahendi potestas Reorum è templis prohibetur, ut ipse Rex vel Imperator citra pœnam excommunicationis illam exercere extractionem haud valeat. (4.) Jure Canonico *cap. inter alia. cap. pen. & ult. de immunit. Eccles. cap. idem statuimus, 17. qvæst. 4. c. d. raptoribus 36. qv. 1.* (5.) Jure Civili Rom. Justinianæo: *l. present. C. de his, qui ad Eccles. conf.* (6.) Augustini aliorumq; Patrum & Sanctorum testimoniis. (7.) Ipsorum Gentilium & Ethnicorum variis LL. & consuetudinibus. (8.) Comuni Canonistarum & Criminalistarum calculo, *Gomezii, Deciani, Farinacii, Marante, Menochii, Bossi, Boerii, Marsilii, Dambouderii, Petri à Placha, Socini, Angeli, Covarruvie, Clari, Banacosi, Odofredi, Monticelli, Gigantis, & centum aliorum.* Et hanc extractionis prohibitionem è sacris ædibus quidam Criminalistæ tam rigorosè prohibitam censent, ut pœnam mortis infligendam arbitrentur extrahenti *ob l. present. C. de his, qui ad Eccles. conf.* & quod ille criminis Majestatis læsæ reus ibidem credatur.

15. *Gigas in tract. de Crim. læs. Maj. cap. qualiter & à quibus crim. l. M. comm.* Dant hujus rei rationem, quòd offendens domum Dei Patris *Job. 2.* divinam Majestatem offendat, quæ major est humanâ. *l. quicquam. Et l. si quis in hoc genus. C. de Episc. & Cleric.*

16. Alii hanc extractionem, quæ fit sine licentiâ Pontificis, comparant sacrilegio. *Follin. in præct. crim. cap. 17. n. 8. Decianus all. loc.* ut sint ipso jure excommunicati *c. desinit c. frater n. 17. qv. 4. c. inter alia de immu. Eccles.* Et extendunt hanc immunitatem, ad cæmeteria, claustra & monasteria, scalas, ostia Ecclesiæ aliaque loca. Ad hospitalia, domos Episcoporum, Cardinalium, Canonicorum. Verum enim vero, cum nulla regula sit tam firma, quæ suas non admittat limitationes, ita hic maximè quam plurimæ & magno cumulo deprehenduntur, quas ad nauseam usq; multiplicarunt prælaudati Criminalistæ,

18. imprimis *Decianus & Farinacius.* Ex iis paucas delibabimus: (1.) Clerici à Judice Ecclesiastico extrahi possunt in delictis dignis degradatione vel traditione curiæ, vel etiam in atrocis-

simo

Imo delicto, quo tradendi curiæ seculari. *Covarru. cap. 20. n. 16. (2)* Jure 19.
 civili Raptores virginum & Adulteri immunitate Ecclesiæ non gau-
 dent. *l. 1. C. d. his qui ad Eccl. conf.* secus de Jure Canonico. *cap. de ra-*
ptor. 16. qv. 1. (3) Nec multo minus Sacrilegi, Assassini, Homicidæ, Pu-
 blici Latrones, Depopulatores agrorum. Delinquentes in ipsa Eccle-
 siâ, Blasphemi, & deniq; criminis læsæ M. rei. Ut multa paucis com- 20.
 prehendam: Immunitas Ecclesiæ non attenditur in delictis atrocio-
 ribus vel atrocissimis: ut videatur saltem locum habere in causis civi-
 libus, in causa debiti & criminibus levioribus. In his templa & cæme-
 teria Reo libertatis confugia creduntur. In atrocioribus autem deli-
 ctis immunitas Ecclesiæ nihil operatur, quo minus vel Clerici, vel Lai-
 ci inde extrahi valeant: quamvis abstractio hæc sine præscitu Episco-
 pi vel illius, qui Ecclesiæ præest, haud facile sit permittenda. *Jodoc.*
Damboud. præf. crim. c. 15. n. 21. Moribus nostris & consuetudine ge- 21.
 nerali hæc immunitas Ecclesiæ in capiendis reis parum attenditur,
 quicquid etiam Concilium Tridentinum vel *Bulla Gregorii 14.* de
 hac consuetudine, tanquam impia & irrationabili, sentiat; cum tem-
 pla facinorosorum hominum occultatione & receptione magis in-
 quinantur, quam conserventur: utpote quod tam Ecclesiæ, quàm Reip. 22.
 interfit, facinorosos debitam luere pœnam, & sint pœnæ facinoroso-
 rum immolationes & sacrificia Magistratum Christianorum. vide
 ea, quæ moribus nostris circa personarum honestiorum carceratio-
 nem observari solent, apud *Carpzov. præf. crim. part. 3. qv. 111. n. 39. &*
seqq. Altera quæstio, quæ circa personas, quæ in carcerari possunt, vel 23.
 non, ventilari solet, est: *Num Carceri includi possit ille, qui à Principe*
vel Judice competentis saluum conductum obtinuit? Et quamvis Carp-
 zovius hic distingvat inter saluum conductum generalem, quod hu-
 jus effectus sit saltem ut tuto accedere & recedere Reus possit, & spe-
 cialem, quod ille plenam det Reo securitatem, attamen de utroq;
 statuendum est, quod eo legitime impetrato, vel à Principe, vel Judi-
 ce, securus sit Reus ab incarceratione, quamdiu nempe de crimine
 nec convictus est, nec confessus. Et omnibus quidem servandus est, et-
 iam hæreticis, & bannitis, ut affecluratus sub salvo conductu nec di-
 rectè nec indirectè molestari debeat, cum fidem fallere turpe sit, præ-
 sertim Principi & publicæ personæ: imo turpissimum, quæmpiam
 sub fide publica decipi, quæ etiam hosti servanda est. Et rectè sta-
 tuunt

tuunt Criminalistæ, quod offendens habentem saluum conductum, crimen committat læsæ Majestatis. Quamvis pœna ejus mitior sit & arbitraria. Plura de hoc salvo conductu & Fidejussione in causis criminalibus vel præstitâ cautione dicemus alibi. Videri de hac quæ-
 42. stione potest *Farinacius prax. crim. qv. 29. per tot.* ubi accuratè hanc materiam tractat. Pro moribus judicii Saxonici adjuuge *Carpzov. prax. crim. p. 3. qv. 112. per tot.* Illud circa finem hujus capituli, coronidis loco annectimus, quod si duo pluresve Rei incarcerandi sint, diversis locis detinendi, præfertim in gravioribus delictis ob *Nemes. Carol. art. 11.* ratio additur, daß Sie sich in warhafftiger Sachen nicht vereinigen/oder wie sie ihre That beschönnen wollen/ unterreden mögen. Vid. *Matthiam Stephan. ad Nem. Carol. dict. art.* quæ lex de utroq; sexu intelligenda.

CAPUT V.

DE ABUSU CARCERIS, ET POENA
 eorum, qui vel privatum Carcerem exercent, vel
 Judicis, qui publico & per se licito ad malitiam &
 iniquitatem abutitur carcere.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Circa custodiam Reorum & carceres, dupliciter peccari solet, ut vel jus carcerandi privati sibi sumant, qui non habent, vel qui habent Judices eo abutantur. | Reus quare dicatur. |
| 2. Allegatur Constitutio Zenonis Imperatoris circa privatos carceres. l. 1. C. d. privat. Carcer. inhib. | 5. Pœna Zenonis Imperatoris rigorosa admodum, in exercentes privatum carcerem, non videtur usurecepta, sed arbitraria quædam. |
| 3. Mitior pœna l. 2. eod. | 6. In pœna privati carceris, ut locum habeat, attendenda sunt persona, tum ipsa delicti qualitas & circumstantia. |
| 4. Privatum carcerem exercent criminis L. Majest. | 7. Parentibus, Dominis, Præceptoribus, Marito, correctionis |

- Etionis gratia Carceres pri-
vatos exercere licet.
8. Creditori quoq; licet debi-
torem suspectum de fuga de-
tinere, nec non Domino v.
vicino furem.
9. Cuilibet de populo capiendi
& carcerandi facultas data
est, si id faciat in salutem
Reip. ne Reus inflagranti
crimine deprehensus aufu-
giat, sed ut eum Judici tra-
dat.
10. Num Creditori liceat debi-
torem ex pacto sibi obliga-
tum carceri includere priva-
to, donec solvat? Numq;
obligatio ad carceres sit lici-
cita?
11. Pacta haec privatorum sunt
illicita & non obligatoria.
12. Pactum, quo quis se ad car-
ceres obligat, in puncto de-
biti, intelligendum est, de car-
ceribus publicis non pri-
vatis.
13. Quod lege publica licitum,
etiam pactis licitum esse vi-
detur.
14. Humanius cum debitore
creditor agere videtur, si non
- ad carceres debitorem de-
volvatur, nisi prius excusserit
ejus bona.
15. Carceres privatos & ille e-
xercet, qui extra carceris
repagula detinet quempiam,
vel vinculis, vel alio modo, ut
inde recedere haud valeat.
16. Ob carcerem privatum te-
netur quis ad interesse &
damna.
17. Ministri quoq; Judicis car-
ceris privati Rei sunt, si
quem detineant in privato
loco.
18. Exasperatur poena privati
carceris, si carcerans & Re-
um tortura subjiciat.
19. Cessante dolo, ubiq; poena car-
ceris privati cessat.
20. Furiosum cuilibet, imprimis
consanguineis, carceri inclu-
dere impune licet, ne vel sibi,
vel alius, violentas inferat
manus.
21. Redemptus ab hostibus reti-
neri potest, donec lytron sol-
vat.
22. Octo recensentur modi, quibus
iniqve & indebite captura
& incarcerationis fieri solet.

D

secun-

- secundum Farinacium.*
23. *Pœna Judicis injustè carcerantis, arbitraria est, pro persona & delicti qualitate, vel injuriarum, vel de Syndicatu.*
24. *Judicis est vigilare, ne Reus diuturna carceratione maceretur; Sed causa criminalis quam citissime expediat.*
52. *Jure Saxonico Landtrecht Judex injustè carcerans singulis diebus 30. solidos Reo solvere tenetur.*
26. *Ad similitudinem supplicii rarissime proceditur, si judex injustè quempiam carceri incluserit.*
27. *Incarceratus metu injuste carcerationis custodes carceris occidere potest.*
28. *De pœna eorum, qui ipsi Rei carceres frangunt, vel Reos eximunt remissivè.*

Dupliciter circa carceres & custodiam Reorum peccari solet, ut vel arrogant sibi Jus carcerandi, qui non habent, vel qui habent, eo iniquè & malitiosè, vel negligenter utantur. Ad primam classem referimus eos, qui Judices non sunt, nec criminalem habent Jurisdictionem, uti sunt privati, qui carcerandi sibi sumunt potestatem: Extat hac de re peculiaris titulus in Codice repetitæ lectionis, qui inscribitur: *De privatis carceribus inhibendis.* quo jubetur: Nemini licere in Imperii Romani provinciis vel in agris suis, aut ubicunq; domi, privati carceris exercere custodiam, sed Præfecto Augustali & Rectoribus Provinciarum ab Imperatore Zenone opera injungitur, ut semper sint in speculis, ut talium nefandissimorum hominum arrogantia omnibus modis opprimatur: incursuris eis crimen *lese Majestatis*, qui cognito hoc scelere læsam non vindicaverint Majestatem. Et hoc quidem criminis genus committentes tanquam ipsius Majestatis violatores ultimo subjungendi supplicio censentur. *l. 1. C. de privat. Carcer. inhib.* Quamvis subsequenti lege *2. eod. tit.* mitior in eos, qui carceres privatos exercent, pœna subjungitur, ut nempe tot dies manere debeant in carcere publico, quot fuerit quis in privato ab iis inclusus, cujuscunque conditionis & dignitatis, una cum amissione ejus causæ, quam habent adversus inclusos *dict. l. 2.* Ratio autem, cur privatam

Num carcerem exercens dicatur, criminis læsæ Majestatis Reus, hæc
 esse videtur, quod fons omnis Jurisdictionis sit Majestas, sine cujus
 permissione nemini licet Jurisdictione uti, vel iis rebus & mediis,
 quæ ad Jurisdictionem pertinent, quorsum merito referimus captu-
 ram & carcerationem reorum *l. 2. ff. de Jurisd. l. 2. ff. ad l. Jul. Ma. 5^o*
jest. Sed quæritur, Num illa rigorosa privati carceris pœna ultimi
 supplicii, quam Zeno Imperator in *dict. l. 1. C. d. Carc. priv. inbib.*
 infligendam jubet, in praxi hodie locum habeat, vel usu recepta?
 & negat id ipsum *Carpzov. in prax. Crim. p. 3. quest. III. num. 8. seqq.*
 Unde mitior quædam in pronuntiando adhiberi solet, vel ea, quæ
l. 2. C. eod. continetur, vel alia quædam Judicis arbitraria, pro per- 6.
 sonæ delinquentis & ipsius delicti qualitate. Quod personas atti-
 net, tales sint, quæ nec Jurisdictionem habent, nec incarcerationi
 potestatem, & illam tamen sibi arrogant privata autoritate. Quod
 ipsum vero delictum concernit, animus requiritur & dolus, sine
 quo non committitur. Hinc sunt nonnullæ personæ, in quibus 7.
 privati carceris pœna nulla locum habet, quales sunt *Parentes,*
Præceptores, DOMINI, Maritus. Hi enim si vel libe-
 ros in potestate, vel discipulos, vel servos, & familiam, vel uxore-
 rem correctionis gratia includant vel in custodia quædam detine-
 ant, propterea privatos carceres exercere non dicuntur, sed legi-
 bus ipsis Romanis illi tanquam ob cessantem dolum à pœna libe-
 rantur *arg. l. 3. §. 1. & 2. ff. d. lib. Hom. exhib. c. placuit 24. qv. 2.*
l. 25. ff. ad. b. Jul. & adult. Sic permittum est quoq; Creditori citra 8.
 pœnam privati carceris debitorem suspectum de fuga detinere *arg.*
l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. Credit. l. 24. C. d. decur. Gall. l. 1. obs. 26.
obs. 44. n. 1. Hartman. tit. nob. 1. n. ult. Sic licet Domino ædium
 vel vicinum furem detinere *l. 7. §. ult. ff. d. furt. arg. l. 7. §. 1. l. 4.*
ad l. Aquil. Marito adulterum uxoris *l. 25. ff. ad l. Jul. Adult.* Et 9.
 diximus in præced. capite hanc potestatem carcerandi & in custodia
 detinendi vel capiendi facinorosos inflagranti crimine deprehensos
 cuilibet è populo esse licitam & permissam, modò eâ mente fiat,
 ut non sibi arroget Jurisdictionem vel pœnam, sed ut Judici eos
 tradat, nec ultra 20. horas eos retineat, *arg. l. 25. ff. ad l. Jul. de ad-*
ult. Decianus tract. crimin. c. 10. Colleg. argentoraten. ad tit. de cust.

D 3. §. ex-

CAP. V. DE PENA PRIVATI

10. *Exhibit. reor. rebes. 7.* Sed quæritur hic de Creditore, num
 permillum sit debitorem, qui se ad obstagium vel pœnam carceris
 obligaverit, propria autoritate capere & detinere, donec solvat,
 vel numne hæc obligatio videatur contra bonos mores & jus natu-
 rale, quo nemo etiam de jure civili dicitur Dominus membrorum
 suorum vel corporis? Et quod prius membrum quæstionis attinet,
 11. minimè permillum censemus, ut vi pacti cum debitore initi ipsum
 detineat non excussum, nec sine autoritate Judicis, cum hoc sit con-
 tra jus commune, quo ordo discussionis bonorum debitoris præci-
 pitur, *l. 15. §. 2. ff. d. rejud.* Imprimis hoc videtur prohibitum in *l. ex-
 tat. 13. ff. quod met. caus.* in verbis: *optimum est, ut si quas putas te
 habere petitiones, actionibus experiaris. Nam vis quoq; tunc est, quo-
 tiens quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit.* Nec
 pacta privatorum derogant Juri publico, nec rata habentur, quæ
 sunt contra juris civilis regulas *l. 28. pr. ff. d. pact.* & uti jurisdictio
 pactis privatis non dari, ita neq; Judici competenti adimi potest.
 Unde quæ contra jura sunt, pro impossibilibus habentur, quarum
 12. nulla obligatio, lege *impossibil. ff. d. R. J.* Sed numne illud pactum
 adjectum planè erit inutile? *Respon.* Illud pactum, quo quis alteri
 se obligat ad obstagium, vel carceres, de publicis carceribus intelli-
 gitur, cum ad privatos carceres nemo obligetur, quamvis juramen-
 to, vel pœna adjecta. *Farinac. qu. 27. n. 20.* Et inde illud operatur, ut
 debitor ob talem pactionem publico detineatur carcere, donec cre-
 13. ditori satisfiat, licet ille non sit suspectus de fuga. Ratio est, quod
 hoc ipsum, per legem publicam permillum sit; Ergo & per pactum.
 Et tali modo non ita pridem sententionatum & judicatum fuit in
 Curia Provinciali Wittebergensi ad instantiam creditoris Lipsiensis,
 producentis talem obligationem debitoris Wittebergensis, qui se
 ad carceres obligaverat. Quæ obligatio pro licita fuit habita. Hu-
 manius tamen est, si Creditor prius debitoris bona excutiat, num illa
 14. sufficiant ad solutionem debiti, vel minus, cum carceres molesti sint
 Viris honestis, & quamvis non cum infamiâ juris vel facti, attamen
 cum macula aliqua conjuncti. *Perez. ad Cod. tit. d. privat. carcer. n. 5.
 Mynsing. Cent. 6. Obs. 51.* Cæterum, ut pauca adhuc addamus de priva-
 15. tis carceribus, notandum est, quod hos quoq; exercere videatur ille,
 qui utrunq; in vinculis ac compedibus extra carceris repagula deti-
 net, vel aliis modis, quo minus libera recedendi sit copia *l. 9. ex quib.
 caus.*

caus. majores Colleg. Argentorat. ad tit. ff. d. cust. Reor. lb. 7. Et tenetur il-16.
 le quoq; ad damna & interesse, Creditor vero amittit debitum. Et com-17.
 mittitur privatus carcer quoq; à ministris Judicis & lictoribus, si Reum
 in privato loco retineant. Quæ pœna etiam exasperatur, si privato quem-81.
 piam torturæ subjiciat, ita ut mortis pœna locum habeat. Cessat tamen, 9.
 pœna carceris ubiq;, cessante dolo. Et hoc non saltem patet ex personis
 quibus coërcitio aliqua permessa, Parentibus, &c. Sed & consanguineis 20.
 carcerantibus furiosum, ne vel sibi, vel aliis, manus inferat violentas, vel
 qui redemptum ab hostibus retinent, donec lytron solvât, vel si quis de 21.
 tineat bannitum, quem impunè occidere quoq; licet. Et ut compen-
 dium verborum faciam: Carceris pœna privati cessat, si cessat dolus, à
 quo causa etiam minima & fatua excusat. Vidè plura hac de re apud
Farinac. all. qv. 27. Et tantum de priori hujus capituli membro, seu pœna
 privati carceris. Dicendum nunc de membro altero; Nempe pœna ju-22.
 dicis injustæ carcerantis. Secundum Farinacium, qui in *pract. crim. qv.*
 27. & seqq. aliis, hanc materiam diligentissime pertractavit, in debite
 captura & carceratio fieri dicitur sequentibus potissimum modis, (1.)
 ratione jurisdictionis, ut scilicet illam aliquis plane non habeat, uti jam
 vidimus de privatis carceribus, vel habeat quidem, sed tamen sit incom-
 petens iudex: Si scilicet non eum in finem incompetens capiat, vel car-
 cere contineat, ut remittat ad competentem, sed ut ipse judicet, & co-
 gnoscat de delicto. (2.) ratione causæ, Regulariter enim fieri non solet,
 ubi de crimine levissimo agitur, vel in quo pœna pecuniaria locum ha-
 bet, (3.) respectu personæ, si persona sit illustris, nobilis, exempta, de qui-
 bus diximus *capite preced. 4.* (4.) ratione loci, ubi quis capitur e.g. in Ec-
 clēsia. (5.) ratione excessus in ipso carcere, si honesta persona includa-
 tur carceri tetrico, horribili, subterraneo, &c. (6.) si violento fiat modo
 & vinculis & compedibus citra necessitatem. (7.) respectu temporis, si
 in die feriato ex causâ civili, etsi Reus non sit suspectus de fuga. (8.) ra-
 tione ordinis, sc. nullis præviis iudiciis, nullis examinatis testibus, nulla
 præcedente fama, vel diffamatione &c. de quibus prælaudatus Farina-
 cius all. loc. fusius tractat. Nos de pœna saltem pauca dicemus Judicis
 ejus, qui dicta requisita negligens quempiam injustè capturæ & carcera-
 tioni subjicit. Si nempe ultra tempus Reum inedia exhauriat, *c. l. C. hoc*
tit. d. cust. reor. Si Reos nimium in carcere detineat *conf. l. 1. & ult. C. b. tit.*
 si cognita innocentia carcerem protrahat, & de levi crimine cautionem
 vel fidejussionem rejiciat, injuriarum, tenetur & ad damna & interesse.

Wesenbec.

32 CAP. V. DE PENA PRIVATI NEC NON INIQVI & INJUSTI CARCERIS.
Wesenbec. in Parat. b. l. & tit. n. 6. Peck. d. jur. sistend. c. 18. Fachinaus
g. contr. cap. 57. Alii rectius sentiunt, eum teneri de Syndicatu pro fa-
cti & personarum qualitate Paris. d. Put. tractat. d. Syndicat.
V. captura. Item poena dignus est Judex, si patiatur crudelitatem in carce-
ratis exercere l. 1. C. b. tit. Et deniq; si peccet contra ea, quæ Judici legibus
24. *præscripta, Colleg. Argentorat. ad tit. ff. d. cust. & exhibit. reor. l. b. 9. Impri-*
mis vero Judicis est procurare, ne custodia vel carceri traditus diuturna
detentione maceretur, sed ejus causa cursim expediatur, ut aut velox cõ-
victu poena subducatur, aut innocens repertus relaxetur Quod si n. interim
aufugiat, & ipse, & carcerum custos ratione doli vel culpæ puniuntur.
Petr. Theodor. colleg. crim. Disput. 4. thes. 12. ad de Bostium tract. crim. d.
carceribus Damhouder. pr. crim. c. 17. n. 1. Quæ quidem injuriarum actio
25. *contra Judicem continet etiam damna & interesse, quamvis alias sit ar-*
bitraria. De jure Saxonico Judex pro injusta carceratione Rei per singu-
los dies 30. solidos solvere tenetur. Landrecht. art. 34. lib. 2. Carpzov.
26. *pract. crim. p. 3. qv. 111. n. 71. Interdum, sed rarissime proceditur ad simili-*
tudinem supplicii. De qua poena Judicis injuste carcerantis plura vide
apud Prosp. Farinac. Theor. & Prax. crim. qv. 27. d. carceribus & carceran-
tis add. Anton. Gomez. var. resolut. Tom. 1. tit. d. injuz Petr. à Placha in epit.
delictor. c. 6. n. 30. Clar. in pract. §. injuria. Menoch. d. arbitr. jud. qua Cas.
263. n. 3. Boer. conf. 4. Cyrill. in tit. d. poen. jud. mal. judic. Paris de Puteo tract.
d. Synd. Verbo: captum. Mar sil. in pract. §. constante n. 3. Conrad. in pract. tit.
27. *d. capt. Angel. de Malef. in verbo quod fama. Et hæc quæ dicta sunt, adeo*
vera sunt, ut etiam incarceratus metu iniquæ iniqui Judicis sententiæ, cu-
stodes carceris interficere possit, & inde immunis sit. Petr. Theod. colleg.
28. *crim. disput. 4. thes. 11. lit. D. Debitis tamen requiritis ibidem annexis. De*
poena vero illorum ipsorum Reorum, qui carceres frangunt, ite eorum,
qui eximunt captum & liberant, ne capiatur, prolixus est Farinacius in
Theor. & Prax. crimin. qv. 29. per cor. & qv. 32. ad quem studiosum Lecto-
rem remittimus. Adde Perez. ad C. tit. d. cust. reor. n. 14. Nec non Jodoc.
Damhouder. prax. crim. c. 18. de effract. carceris. Item Zoësum ad tit. ff. d.
cust. & exhibit. Reor. Wesenbec. in Paratit. tit. d. cust. reor. n. 4. Ex jure Civili
de poena effractorum annecte l. 1. ff. de effract. & expilat. Deniq; addendū
est Carpz. pract. crim. part. 3. qv. 111. n. 90. Ubi demonstrat Reos effringen-
tes pro qualitate delicti, arbitrariâ esse, nec adeo semper capitali poena,
afficiendos, quæ ultimum supplicium inducat. Et tantum de

CARCERIBUS.

DEO OMNIPOTENTI & SOLI GLORIA !

Carceris Improbitas vinculis constringitur arde,
Rumpit & Integritas omnia claustra brevis;
Ut luat illa graves pœnas hæc læta triumphet,
Tandem pro meritis utraq; nempe suis.
Hæc dum KEILPHLUGI laudato differis ausu,
Præmia suscepto digna labore precor.

Michael Fridericus Ledererus,
U. J. D. & P. P. p. t. Acad.
Rector.

Ad

Per-Eximium ac Literatissimum

DN. RESPONDENTEM,

Jurium Cultorem industrium, Amicum
singulari amore prosequendum.

Vincula quid profint? Quantum frænare catenis
Neqvitas hominum? Publica jura docent;
Hæc dum KEILPHLUGI illustras, precor adsit Jova!
Eynomia quondam præmia digna feres.

*Boni ominis & debite gratulationis
ergo scribeb. festinanter*

PRÆSES

Carcere, tormentis, pœnis Respublica fontes
Afficit, at justos præmia digna manent.
Te nunc squalentis, KEILPHLUGI, carceris antra
Scrutari, & capti visere claustra juvat.
Scilicet ut quondam vitis decernere justum
Supplicium, & cunctis reddere jura queas.

Nov

*Non laculenta solent solis fœdare decorem,
Ingenium nec & hæc dedecorare valent.
Quin magis præclarum specimen de Carceris usu
Ostendet, leges Te bene nosse, foro.*

Cl. KEILPFLUGIO suo
f.

M. Christianus Röhrensee / Coll.
Phil. & Pract. Phil. Prof. Publ.
Adjunctus.

Sublimēs nequeunt mentes includier atro
Carcere desidiæ, vincla ligare sciunt:
Cœcis se eripiunt tenebris, jucunda colentes
Atria, virtutum splendida tecta petunt.
Hactenus assiduo superasti incerta labore
Nubila, præclaræ laudis agalma geris.
Comprobat hoc insigne (precor felicibus alis!)
Quod nunc das specimen, dulcis Amice, tuum.

Johannes Carolus Grundmann/
LL. Stud.

Conscendis, Fautor, summâ cum laude Cathedram
Doctum sic doctis temet & ipse probas.
Felix cedat opus, quod jam meditaris, Amice,
Dum servire studes temporis ingenio.
Gratulor ergo Tibi, cedant ad júbila cœli
Tiq, Tuisq, decus, Tiq, Tuisq, decus.

Hicce Politis. atq; doctis. Dn. Christiani Keillflug,
Jur. Cult. solertissimi atq; Commensalis sui (savis-
simi, laudatissimis in studiis progressibus omnia
fausta in signum invocatae amicitiae adprecatur

Christianus Ehrenfriedt Nicolai,
Dresd. Misn.

ULB Halle

3


001 554 379



SB

1011







B.I.G.

Farbkarte #13

B. V.
JURIDICA
RIBUS,
& ABUSU
minalibus,
Custod. & exhibit. Reor.
CONSULTORUM
EA ORDINE,
DIO
Amplissimi, Consultissimi
lentissimi
ODORI MARTINI,
berrimi, Serenisf. Elect. Sax.
e Electoralis, Consistorii Eccle-
uridica, qua hic sunt, nec non
inferiori Lusatiâ, Ad-
visissimi,
Promotoris sui omni honoris
atem devenerandi,
m ventilationi
bet
REZPZVZ/
nus Misnicus,
atutinis ab 8. usq. ad 11.
NIS, excud. DANIEL Schmah/
O M DC LXXI.

72

1671 Ma

